

Tekst 1

Het vroege Rome

1 Iam res Romana adeo erat valida ut cuilibet finitimarum civitatum bello par
2 esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat, quippe
3 quibus nec domi spes prolis nec cum finitimis conubia essent. Tum ex consilio
4 patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit qui societatem conubiumque
5 novo populo peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci; dein, quas sua
6 virtus ac di iuvent, magnas opes sibi magnumque nomen facere; satis scire,
7 origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam virtutem; proinde ne
8 gravarentur homines cum hominibus sanguinem ac genus miscere. Nusquam
9 benigne legatio audita est: adeo simul spernebant, simul tantam in medio
10 crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. Ac plerisque rogitantibus
11 dimissi ecquod feminis quoque asylum aperuissent; id enim demum compar
12 conubium fore. Aegre id Romana pubes passa et haud dubie ad vim spectare res
13 coepit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus aegritudinem animi
14 dissimulans ludos ex industria parat Neptuno equestri sollemnes; Consualia
15 vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet; quantoque apparatu tum
16 sciebant aut poterant, concelebrant ut rem claram exspectatamque facerent.
17 Multi mortales convenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime proximi
18 quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; iam Sabinorum omnis multitudo
19 cum liberis ac coniugibus venit. Invitati hospitaliter per domos cum situm
20 moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur tam brevi rem
21 Romanam crevisse. Ubi spectaculi tempus venit deditaque eo mentes cum
22 oculis erant, tum ex composito orta vis signoque dato iuventus Romana ad
23 rapiendas virgines discurrit. Magna pars forte in quem quaeque inciderat raptae:
24 quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines
25 quibus datum negotium erat domos deferebant. Unam longe ante alias specie ac
26 pulchritudine insignem a globo Thalassi cuiusdam raptam ferunt multisque
27 sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem ne quis violaret Thalassio ferri
28 clamitatum; inde nuptialem hanc vocem factam.
29 Turbato per metum ludicro maesti parentes virginum profugiunt, incusantes
30 violatum hospitii foedus deumque invocantes cuius ad sollemne ludosque per fas
31 ac fidem decepti venissent. Nec raptis aut spes de se melior aut indignatio est
32 minor. Sed ipse Romulus circumibat docebatque patrum id superbia factum qui
33 conubium finitimis negassent; illas tamen in matrimonio, in societate
34 fortunarum omnium civitatisque et quo nihil carius humano generi sit liberum

35 fore; mollirent modo iras et, quibus fors corpora dedisset, darent animos; saepe
36 ex iniuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras viris quod
37 adnissurus pro se quisque sit ut, cum suam vicem functus officio sit, parentium
38 etiam patriaeque expleat desiderium. Accedebant blanditiae virorum, factum
39 purgantium cupiditate atque amore, quae maxime ad muliebre ingenium
40 efficaces preces sunt.

Livius, AUC I 9

Tekst 2

De Griekse schrijver Plutarchus schrijft het volgende over de Sabijnse maagdenroof:

1 In de vierde maand na de stichting van de stad werd, zoals Fabius vertelt, de
2 vrouwenroof ondernomen. Sommigen zeggen dat Romulus van nature
3 oorlogszuchtig was en dat hij op grond van bepaalde orakels de overtuiging had
4 gekregen dat Rome, mits gevoed en grootgebracht onder de wapenen,
5 voorbestemd was een wereldmacht te worden. Daarom zou hij begonnen zijn
6 geweld te gebruiken tegen de Sabijnen en had hij hoogstens dertig meisjes
7 meegenomen, aangezien het hem meer om het voeren van oorlog dan om het
8 sluiten van huwelijken ging. Maar dit is niet waarschijnlijk. Veeleer zag hij hoe
9 de stad zich terstond vulde met bewoners, van wie er maar enkelen vrouwen
10 bezaten en de meesten als een mengelmoes van arme en onaanzienlijke lieden
11 veracht werden en niet de indruk wekten bij elkaar te zullen blijven; bovendien
12 hoopte hij dat deze wandaad op de een of andere manier de grondslag zou leggen
13 voor een nauwe vereniging en gemeenschap met de Sabijnen, als zij de vrouwen
14 maar eenmaal getemd hadden.

Tekst 3

Rome wordt belegerd door Porsenna.

1 Obsidio erat nihilo minus et frumenti cum summa caritate inopia, sedendoque
2 expugnatum se urbem spem Porsenna habebat, cum C. Mucius, adulescens
3 nobilis, cui indignum videbatur populum Romanum servientem cum sub regibus
4 esset nullo bello nec ab hostibus ullis obsessum esse, liberum eundem populum
5 ab iisdem Etruscis obsideri quorum saepe exercitus fuderit — itaque magno
6 audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua
7 sponte penetrare in hostium castra constituit; dein metuens ne si consulum
8 iniussu et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus Romanis

9 retraheretur ut transfuga, fortuna tum urbis crimen adfirmante, senatum adit.
10 "Transire Tiberim", inquit, "patres, et intrare, si possim, castra hostium volo,
11 non praedo nec populationum in vicem ultor; maius si di iuvant in animo est
12 facinus." Adprobant patres; abdito intra vestem ferro proficiscitur. Ubi eo venit,
13 in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium
14 militibus forte daretur et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret
15 eumque milites vulgo adirent, timens sciscitari uter Porsenna esset, ne
16 ignorando regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna
17 facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem inde qua per trepidam turbam
18 cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum concursu ad clamorem facto
19 comprehensum regii satellites retraxissent, ante tribunal regis destitutus, tum
20 quoque inter tantas fortunae minas metuendus magis quam metuens, "Romanus
21 sum" inquit, "civis; C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui, nec ad
22 mortem minus animi est, quam fuit ad caedem; et facere et pati fortia Romanum
23 est. Nec unus in te ego hos animos gessi; longus post me ordo est idem
24 petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si iuvat, accingere, ut in singulas
25 horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae. Hoc tibi
26 iuventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum proelium timueris;
27 uni tibi et cum singulis res erit." Cum rex simul ira incensus periculoque
28 conterritus circumdari ignes minitabundus iuberet nisi expromeret propere quas
29 insidiarum sibi minas per ambages iaceret, "En tibi", inquit, "ut sentias quam
30 vile corpus sit iis qui magnam gloriam vident"; dextramque accenso ad
31 sacrificium foculo inicit. Quam cum velut alienato ab sensu torreret animo,
32 prope attonitus miraculo rex cum ab sede sua prosilisset amoverique ab
33 altaribus iuvenem iussisset, "Tu vero abi" inquit, "in te magis quam in me
34 hostilia ausus. Iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret;
35 nunc iure belli liberum te, intactum inviolatumque hinc dimitto." Tunc Mucius,
36 quasi remunerans meritum, "Quando quidem" inquit, "est apud te virtuti honos,
37 ut beneficio tuleris a me quod minis nequisti, trecenti coniuravimus principes
38 iuventutis Romanae ut in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit; ceteri ut
39 cuiusque ceciderit primi quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque
40 tempore aderunt."

Livius, AUC II 12

Tekst 4

De Romeinen waren in de tijd van de vroege Republiek herhaaldelijk in oorlog met de Galliërs.

In onderstaande tekst staan beide legers tegenover elkaar, gescheiden door een rivier met een brug erover.

- 1 Proelia de occupando ponte crebra erant nec qui poterentur incertis viribus satis
2 discerni poterat. Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus
3 processit et quantum maxima voce potuit “Quem nunc” inquit “Roma virum
4 fortissimum habet, procedat agetum ad pugnam, ut noster duorum eventus
5 ostendat utra gens bello sit melior.”
6 Diu inter primores iuvenum Romanorum silentium fuit, cum et abnuere
7 certamen vererentur et praecipuam sortem periculi petere nollent. Tum T.
8 Manlius, L. filius, ex statione ad dictatorem perguit. “Iniussu tuo”, inquit,
9 “imperator, extra ordinem numquam pugnaverim, non si certam victoriam
10 videam; si tu permittis, volo ego illi beluae ostendere me ex ea familia ortum,
11 quae Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit.”

Livius, AUC VII 9.7-10.3

Aantekeningen

- regel 1* **qui poterentur** wie de brug in handen zouden krijgen
incertis viribus omdat de krachtsverhoudingen onduidelijk waren
- regel 3* **quantum maxima voce potuit** zo luid als hij kon
- regel 3-4* **Quem nunc Roma virum fortissimum habet, Lees: Vir fortissimus, quem nunc Roma habet,**
- regel 4* **agedum** *Onvertaald laten*
noster duorum eventus de afloop van ons duel
- regel 5* **bello** in oorlogvoering
- regel 7* **praecipuam sortem periculi petere** een groot risico lopen
- regel 8* **L.** *Lees: Lucii*
dictator = imperator
Iniussu tuo Zonder uw bevel
- regel 9* **pugnaverim** ik zou willen vechten
non zelfs niet
- regel 10* **ea familia** *De grootvader van T. Manlius had zich zeer verdienstelijk gemaakt toen de Galliërs Rome bijna hadden veroverd*
ortum *Lees: ortum esse*
- regel 11* **rupes Tarpeia** *steile heuvel in het centrum van Rome*